

10/5

MONUMENTUM NASSOVICUM
ÆTERNANDÆ MEMORIÆ
*Serenissimi ac Celsissimi Principis &
Domini*

D. HENRICI

PRINCIPIS NASSOVIÆ, COMITIS CATTI-
MELIBOCI, VIANDÆ ET DECIÆ,
DYNASTÆ BEILSTEINII &c.

*Patris Patriæ optimi, maximi, Domini nostri Clementissimi,
Conjugis Gloriosissimæ,*

Serenissimæ ac Celsissimæ Principis & Domine

D. DOROTHEÆ
ELISABETHÆ,

PRINCIPIS NASSOVIÆ, NATÆ DUCIS SI-
LESIÆ, LIGNICENSIS AC BRIGENSIS, CO-
MITIS CATTIMELIBOCI, VIANDÆ,
DECIÆ, DOMINÆ BEIL-
STEINII, &c.

*Matronarum Principum, dum viveret, Corona & Decoris longè
dulcissimi, inclytissimi,*

Postquam

PRINCEPS SOLI SERENISSIMA

Placidâ morte evasit

PRINCEPS POLI BEATISSIMA,

Ex

Humillimæ observantiæ cultu magno cum dolore,

Statutum à

SCHOLA ACADEMICA,

Quæ est

HERBORNÆ.

☞) ☼ (☞

TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ.

ANNO M. DC. XCI.

MONUMENTUM VASSONICUM
ETERNANDA MEMORIA
Reverendissimi ac Celsissimi Principis &
Dominus

D. HENRICI

PRINCIPIS VASSONIE COMITIS CATTI
MELBOCI VANDAE ET DECIAE
DYNASTAE BEHSTEMII &c.

Paris Paris optima maximi Domini nostri Celsissimi

כל שימיה לפני מותו
המוח לא ימיה אחרו

D. DOROTHEAE
ELISABETHAE

ὅστις ἀποθνήσκει βροτὸς, ἔμψυχοι γε θανέται,
εἰ δὴ ἐυσεβέων κἀτθανε ἀεφθάρτην.

Ante obitum moriens non moriturus, obit.

LESIAE LIGNICENSIS AC BRIGENSIS CO-
MITIS CATTIMELBOCI VANDAE
DECIAE DOMINAE BEH-
STEMII &c.

Matronarum Principum, dum viveret, Corone & Decoris longis
alacris, insignibus,
Possidiam

PRINCEPS SOLI SERENISSIMA

PRINCEPS POLI BEATISSIMA

Humillime obsecrantis cultu magno cum dolore

SCHOLA ACADEMICA

HERBORNAE

TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREAE

MDCCLXX





RECTOR

ET

PROFESSORES

ILLUSTRIS SCHOLÆ

HERBORNENSIS

L. S. D.

Non immeritò entheus
 psaltes : quis hominum
 est, qui vivet & non vi-
 debit mortem? Nam ex
 judicio Venusini: pallida
 mors æquo pulsat pede pauperum ta-
 ber-

a 2

ber-



bernas Regumq; turres. Unde anna-
 lium inclytus Scriptor Tacitus scepra
 rerum gerentes affatus iure: Princeps
 se mortalem esse sciat & hominum offi-
 cia fungi, satisq; habere, si locum princi-
 pem impleat. Omnes enim huius ter-
 ræ hospites fragiles piaculi pondere pre-
 mimur & culpæ onere gravamur, quæ
 jubet exire spiritum ex corporis huius er-
 gastulo hocq; redire in terram pulveru-
 lentam & levissimos cineres. Non qui
 eminent Majestate, fulgent immunita-
 te ab omni noxa; nec ideo pabulo tristis-
 simæ mortis eximuntur. Alios hæc
 celeriter currendorapit & devorat, a-
 lios lentogradu depascit. Hisuis extre-
 mum vale dicunt, mundum relinquen-
 tes, ne amplius huius libidini exponan-
 tur malesanæ: illi animam exhalant
 stygiasq; penetrant ad undas, ut furere
 desistant & sævire in non fucata pieta-
 tis amantes. Hinc Patritii & Moni-
 cæ soboles clarissima, Hipponensis Ec-
 cle-

clesiæ fulgidum lumen : vocantur ante tempus boni , ne diutius vexentur à noxiis , mali verò & impij tolluntur, ne diutius bonos persequantur. Malignæ cohorti mors atra est via tristissima ad nunquam desituum supplicium , ad dolores & angores sempiternos, perferendos in abyssò, ardente lurido sulphure & inextinguibili igne. Qui verò servant supremi Regis oracula sacra , his non obitus , sed abitus, non ad ejulatum sed gaudium, non ad fletum, sed risum spiritualem & cœlestem ; quo quis valedicit terræ peregrinæ , festinans ad cœlum , patriam , hæreditatemque paternam : egressus ex vita quidem temporali, sed ingressus in æternam ac fine carentem. Quam ob causam pulchrè, Patrum novissimus , Bernhardus : mors est transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brabium , de fide ad notitiam ,

b *de*

de morte ad vitam, de peregrinatione
ad Patrem. Est itaque talibus amœ-
na vicissitudo, optatissima permuta-
tio. Hanc permutationem & vicissi-
tudinem experta est Serenissima Prin-
ceps, ac Domina, Domina DORO-
THEA ELISABETHA, Princeps
Nassovia, Comes Cattimeliboci, Vian-
dæ, Decia, nata Dux Silesia, Do-
mina Beilsteinij, Domina nostra dum
viveret Clementissima, Serenissimi
Principis ac Domini, Domini HEN-
RICI, Principis Nassovia, Comit-
is Cattimeliboci, Viandæ & Decia,
Domini Beilsteinij, Domini nostri
Clementissimi, conjux dilectissima.
Verum enim vero etsi quidem amica
hæc commutatio terræ cum cælo, do-
loris cum lenitate, tristitiæ cum gau-
dio nobis omnibus optanda, nemini
invidenda, nihilominus tamen, mæro-
re affici super defunctum, est huma-
num, imò dignum, ut deploremus
ca-

casum Serenissimorum Serenissima-
rumque Principum, qui & quæ vel-
ut magna quædam sydera eminentiori-
bus virtutibus præluxerunt aliis.
Quale sydus fulgidum fuit celebrata
jam Serenissima & Celsissima Nassov-
iæ mater, gloriosissimæ jam memo-
riæ. Non mirum itaque si lachryma-
rum imbrem in ejus cineres mittat Se-
renissimus & Celsissimus Viduus cum
Celsissimis filiis ac filiabus, decetque
nos crebros flebilesque repetere gemi-
tus ob tantæ Principis lachrymabilem
& præmaturum occasum. Nomine
omnium de tristi pectore suspiria hæc
tollet in cælum 23. *Ful. mæsta quidem,*
sed tamen polita oratione, Vir pluri-
mum Reverendus & Excellentissimus
Dominus IOHANNES HENRI-
CVS FLORINVS, Eloquentiæ
Professor ordinarius & Theologiæ ex-
traordinarius, ut & inferiorum clas-
sium Pedagogearcha dignissimus. Ad

b 2

quo-

quorum gemituum auscultationem omnes & singulos ingeniarum artium Promotores, & Fautores officiosè invitamus, studiosos verò hortamur, ut frequenti confluxu gemebundis his suspiriis interesse non recusent. Dabamus XIX. Jul. M DC XCI.



PANE-

PANEGYRICUS PARENTALIS
GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ

*Serenissimi ac Celsissimi Principis &
Domini,*

D. HENRICI

D. G. PRINCIPIS NASSOVIÆ, COMITIS
CATTIMELIBOCI, VIANDÆ ET DE-
CIAÆ, DYNASTÆ BEIL-
STEINII, &c.

Patris Patriæ optimi, maximi

Conjugis augustissimæ,

Serenissimæ & Celsissimæ Principis & Dominae,

D. DOROTHEÆ
ELISABETHÆ,

PRINCIPIS NASSOVIÆ, NATÆ DVCIS SI-
LESIAE, LIGNICENSIS AC BRIGENSIS, CO-
MITIS CATTIMELIBOCI, VIANDÆ,
DECIAÆ, DOMINÆ BEIL-
STEINII, &c.

Heroinæ, dum viveret, vitæ sanctitate, integritate, pie-
tate, aliarumque virtutum Principe Matronâ dignarum
gloriâ eminentissimæ,

Desideria

*Serenissimi Conjugis, Conjugem, Serenissimorum Liberorum, Matrem,
Aula, Præsidentem, Gynæcei, Antistitam, Pauperum, Asylum, Ecclesiæ, Nutritiam, Germaniæ
Heroidem Lugentium, complexus,*

In illustris Scholæ Herbornensis panegyri dictus

à

JOHANNÉ HENRICO FLORINO,

SS. Theol. extraord. Eloquentiæ verò ordinario Professore
Public. & Pædagogearchâ.

☞) ☞ (☞

TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ.

ANNO MDCXCI

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

HENRICO,

D. G. PRINCIPI NASSOVIÆ, COMITI
CATTIMELIBOCI, VIANDÆ ET DE-
CIÆ, DYNASTÆ BEIL-
STEINII, &c.

*Patri Patriæ Optimo, Maximo,
Nutritio Ecclesiæ inclytissimo,
Rei Literariæ Tutano Gloriosissimo,*

Domino suo Clementissimo.

MEMORIAM HANC

ΜΑΚΑΡΙΩΤΑΤΗΣ

DOROTHEÆ
ELISABETHÆ,

Conjugis amatissimæ, suavissimæ, mellitissimæ,

Verè

ΔΩΡΟΥ ΘΕΙΟΥ

ET

MINISTRÆ DEI JURATISSIMÆ,

NUPER

PRINCIPIS SOLI SERENISSIMÆ

NUNC

PRINCIPIS POLI BEATISSIMÆ,

SERMONE IMPOLITO
HVMILLIME CVLTAM
SACRAM FACIT,
ÆTATIS FELICITATEM,
ANNORVM PROSPERITATEM,
DOMVS INCOLVMITATEM,
IMPERII SECVRITATEM,
POPVLI FIDELITATEM,
GLORIÆ PERENNITATEM

Ex veteri formulâ devotissimè apprecatus,

Johannes Henricus Florinus.



Nobilissimi, Amplissimi ac Consultis-
simi Viri , Serenissimi Principis ac
 Domini nostri **HENRICI** Prin-
 cipis Nassoviæ &c. *Alegati gra-*
visimi, spectatissimi.

Magnifice Domine Rector.

Plurimum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi Domini Professo-
res, Collegæ honoratissimi.

Nobilissimi, Consultissimi, Experien-
tissimi Domini Doctores & Licen-
tiati.

Admodum Reverendi & Doctissimi
Domini Pastores.

Reverendi & Literatissimi Domini
Præceptores.

Tuq; florentissima studiosæ juventutis
Corona,

d Au-

Auditores omnium ordinum honoratissimi, gratissimi.

RVrsū ne ergo vos pullatos pullatus ipse ex hac cathedrâ intueri cogor? rursū ne in acerbissimo publici luctūs & squaloris argumento mihi versandum? Rursū ne inter has atratorum parietum & acerbitate doloris moerentium animorum noctes præconem feralem me agere oportet? Nondum annus exactus, ex quo supremi officii necessitas, quod memoriae Serenissimi & Celsissimi Principis & Domini, Domini ADOLPHI, Principis Nassoviæ, Comitis Cattimeliboci, Viandæ, Deciæ, Dynastæ Beilsteinii, &c. in ipso juventutis flore ad fluvium Sambrim & pagum Fleury, pro communi Germaniæ libertate gloriosissimè de-

defuncti, debebatur, me iusta persolvere voluit eidem, & Almæ Academiæ nostræ conceptum ex gravissimâ jacturâ mœrorem, debito virtutibus ejus & fastigio, verborum honore declarare. Respirabam sanè Auditores, spe nixus, placatum iri precibus nostris Supremum in cœlis Numen, nec redituras in famigeratissimum Principum Dilliacorum Propugnaculum ejusmodi vices, quæ huic Cathedræ atq; his subselliis novum inducerēt squalorem, meque in idem producerent mœroris, gravissimique luctus theatrum. Sed eheu Auditores! eheu! longe secus visum illi, cujus in nos ira necdum deferbuit. Visum illi Celsissimam Serenissimorum Orbis Dilliaci Principum Cedrum non duntaxat variis ramis orbare, sed & feracissimum ejusdem stipitem penitus quasi diffindere, ereptâ nobis paucis antè hebdomadis Serenissimâ atque Celsissimâ Principe & Dominâ, D. D O-



ROTHEA ELISABETHA, Princi-
 cipe Nassovia, natâ Duce Silesiæ, Ligni-
 censi ac Brigensi, Comite Cattimeliboci,
 Viandæ, Deciæ, Dominâ Beilsteinii,
 &c. Matronarum Principum verè Or-
 namento ac Coronâ , Domini nostri
 Clementissimi Coniuge desideratissi-
 mâ, suavissimâ, amatissimâ. O Te for-
 tem asperrimam ! O Te Libitinam a-
 cerbissimam , ipsoque Caucaſo duris
 cautibus horrente duriorum ! Quo-
 usque tandem funera funeribus densan-
 do, famigeratissimam Nassovio-Dillen-
 burgicam Domum funestabis ? Quo-
 usque tandem Clementissimum Sere-
 nissimi Principis nostri animum mœro-
 re & luctu perfundes ? Quo usque tan-
 dem Orbi Dilliaci squalorem & lœsum
 inducere perges ? Annon sufficiebat,
 Principem CAROLVM , grande
 quondam Serenissimorum Parentum
 Delicium in ipsâ herbâ oppressisse ? An-
 non sufficiebat , Principes exoptatissi-
 mos

mos GEORGIVM LVDOVICVM & FRIDERICVM HENRICVM , Heroicos Heroicorum Majorum Traduces uno ferè die lucis hujus usurâ privâsse ? Annon sufficiebat , Principem HENRICUM , Principem juventutis , in ipso juventutis flore è medio sustulisse ? Annon sufficiebat , exoptatissimam Principum Filiarum, Sororum suavissimarum, utrarumque & Nomen & dulcissimam Celsissimæ Matris *ἑγκλισιν* referentium, bigam vitâ exuisse ? Annon sufficiebat , nondum exacto biennio binos Principes longè optatissimos , IOHANNEM GEORGIVM & ADOLPHVM , novam Nassoviæ spem eripiendo , de novo duo gravissima vulnera , etiamnum recrudescencia , orbi Nassovico inflixisse ? Num putatâ arbore ejusdem quoque stirps amputanda ? Adjungenda ne erat , & quidem intra brevissimi temporis spatium ereptis Liberis Mater

e ter

ter dulcissima ? MATRONA PRINCEPS , generis splendore Serenissima, sanctitate vitæ Illustrissima , integritate morum, aliisque virtutibus Principe dignis Inclytissima : MATRONA PRINCEPS, foëminis sexus decus splendidissimum, ornamentum florentissimū: MATRONA PRINCEPS, Serenissimi Principis nostri Conjux & altera quasi vita suavissima, Patriæ spes jucundissima, imò totius Nassoviæ Corona æstimatissima : MATRONA PRINCEPS , summis illis in Sacrarum Literarum Pandectis tantopere celebratis ac decantatis Matronis haud immeritò annumeranda. Sed alii fortunam incusent & de temporum conquerantur injuriis ; nobis, qui Christi lege eruditi & cœlesti disciplinâ imbuti sumus , aliter sentiendum , & quicquid adversi ac luctuosi nobis accidit, ad Fatum ; non illud, ob quod Stoici malè audiunt, sed hoc, quod in divinis effatis, in æternis illis & nobis imperscruta-

ta-

tabilibus sapientiæ, justitiæ & clementiæ
 Dei, omnia sapientissimè moderantis et
 homines in statione vitæ non collocan-
 tis modò, sed etiam inde arbitrio et nu-
 tu suo revocantis, adytis notamus, uni-
 cè referendum. Vtinam verò nun-
 quam satis laudata Princeps virtutum
 suarum Encomiasten ex hoc splendidis-
 simo literatissimorum Virorum confessu
 nacta esset feliciorè ; quippe cujus
 eximia laus vel aureis sculpta literis ad to-
 tius Christianæ posteritatis memoriam
 transmitti merebatur. Agnosco enim,
 quàm angusta hæc sit provincia, laudare
 Matronam Principem, omnibus laudi-
 bus majorem : neque ignoro, quàm
 angusta & curta mihi sint omnia, qui ne-
 que ingenio tantum valeo, neque dicen-
 di facultate, ut Panegyristæ munus, non
 dicam pro dignitate Serenissimæ Celsi-
 tudinis ejus (hoc enim mihi arrogare
 esset temeritatis notam incurrere) sed
 ne pro vestra quidem expectatione ob-
 d 2 ire

ire possim. Verùm cùm publica auctoritate & jussu eorum, quorum interest, hæc ad me potissimùm hac temporis serie devoluta sit provincia : tametsi me tantæ rei prorsus imparem agnosco: de ingenii tamen existimatione periclitari malo, quàm demando mihi muneri deesse. Et cùm ex hoc loco à multis multa sæpe de virtutibus, morumque præceptionibus ornatè graviterque sint dicta, haud injucundum futurum auguror, quod illi quasi de toto genere traderunt, ejus exemplar vivum in Serenissimâ Principe nostrâ **DOROTHEA ELISABETHA** in apicum producere, quippe cujus historia virtutum plurimarum theatrum quoddam splendidissimum nobis aperiet, ad imitationem sanctam mentibus aliorum non planè stupidis calcar additura. Licet namq; illa quoque morum præcepta suam in hominum animis ad humanitatem erudiendis vim obtineant : tamen si viva hæc
vir-

virtutum simulacra , quæ recti honesti-
 que faciem formosam , aliàs velut invo-
 lucris tectam , in illustri imagine spe-
 ctantium oculis obijciant , accesserint ;
 illicò, quod in aliis commendatione dig-
 num aspicimus , ad id ipsum laudabi-
 liter exprimendum , ceu stimulis qui-
 busdam & æmulationis honestæ facibus
 accendimur & incitatur : Vt non ab-
 re sapientes illi vitæ morumque magistri
 præter Philosophorum præceptiones,
 simul in hujuscemodi exempla, ceu spe-
 culum virtutis & honestatis nos jubeant
 intueri. Subibo proinde , quantum
 possum, gravissimum & viribus meis ve-
 rè majus onus vestra tantummodo fre-
 tus benevolentia Auditores, qua ut sem-
 per in aliis studiis meis usus fui, ità pariter
 in supplendâ Orationis hujus inopia ut
 denuo mihi uti liceat , est quod à vobis,
 Viri Optimates, per omnia sacra Musæ-
 rum, quibus scio, quantum obstricti me-
 cum sitis ; & per ipsam Beatissimæ Prin-

f

ci-

cipis memoriam, quæ sacrosancta omnibus esse debet, unicè nunc petam atque maximum in modum contendam.

Quæ ex Rhetorum institutis ad laudum præconiis efferendas matronas adferuntur, ad ortum earum partim pertinent, partim ad educationem & virtutis studium: quibus subjungi solet, si contigit, quod matrimonii felicitati imputetur: præcipuam autem partem in Deum pietas & beatissimus ex hac vita excessus sibi vendicant. In Serenissimâ DOROTHEA ELISABETHA nostrâ conspiraverunt summa, laudanda quæ omnia; ut nihil natalibus illustrius, nihil matrimonio felicius, nihil denique compositâ vitæ ratione concinnius invenire liceat, cui non alius, quàm felicissimus exitus & optatissima rerum æternarum cum mortalitate commutatio succedere potuit. Stupet ingenium, hæretque lingua, dum originem cogito, de qua quicquid dicendum,

dum, regium omne atque summum est. Ortum suum trahit Serenissima nostra ex tali profapia, quæ, siue in scrutabilis antiquitatis gloria veniat censenda, siue in usitato originis, consanguinitatum & affinitatum splendore, siue eminentissimis ac supremis etiam dignitatibus & honorum in Purpurâ, Diadematibus ac Solio apicibus, siue Heroum omnibus numeris absolutorum, Martiorum præsertim, ac totidem Belli Fulminum, per Europam non modò, sed quâ latè patet orbis ab ortu ad hesperium usque cubile, numerosâ propagine, siue denique rerum fortiter præclareque gestarum eminentiâ ac multitudine, multarum sanè historiæ argumentum splendidissimum & Ornamentum ferè Princeps à multis retro seculis extitit. Orta, inquam, est Serenissima nostra è profapia Piastræ, è Piasto, famigeratissimo illo Regni Poloniæ Gubernatore ante novem secula feliciter productâ,

primitus potentissimâ Regum & Monarcharum Poloniae, ac deinceps celsissimâ & florentissimâ Serenissimorum Silesiae Ducum propagine illustrata. Non morabor hinc attentionem vestram *Auditores Optimi*, Originem & antiquitatem augustissimæ Piastæorum Gentis pluribus verborum anfractibus extollendo, minus adhuc, ex cana & immemorabili antiquitate eruderando; cum hoc potius Annalium quàm brevis panegyrici conditori congruat. Nec pariter hinc stirpis Serenissimæ in ramos splendidissimos & toto ferè orbe expansos divisionem prolixâ sermonis ambage memorabo, ne Orator Historicorum messem ingredi velle videar; quamvis interim certissimum sit, paucos oppidò in patentissimo universæ Europæ circo familias illustres Ducum Principumque reperiri, quibus non auspiciatissimis matrimoniorum vinculis florentissimæ hujus profapiæ stemma variè sit implicatum.

tum.

tum. Quid ? ad ipsas Imperatorum, cum Romanorum tum Græcorum, Coronas, Regum Sceptra, Electorum Purpuram lætissima affinitatis arbor felices ramos suos exporrigit ac propagines. Verum, ut dixi, cum ista perlustrare, non horæ unius, sed annorum opus sit, ad Historicos eis abeundum censeo, qui famæ, nunc quoque toto orbe perlonanti, non acquiescunt.

Ad hanc splendidissimam, quæ latè patet Orbis, famigeratissimam, & cascâ certè senilitate cum antiquissimis, splendore cum summis, virtutum togæ sagique uberrimis exemplis cum optimis certantem profapiam Serenissima nostra ortum suum refert, TRITAVO FRIDERICO I. Duce Silesiæ, Lignicensi ac Brigensi, Heroum virtutibus heroicis eminentissimorum facile primo: ATAVO FRIDERICO II. Duce Gloriosissimo, pietate aliisque Virtutibus Heroe dignis nulli secundo: Primo Ec-

g

cle-

clesiæ Lignicensis ac Brigenſis ab errorum atque ſuperſtitionum Papalium ſordibus Reformatore inclytiffimo :
ABAVO GEORGIO II. Duce Sileſiæ &c. pariter celebratiſſimo : **PROAVO IOACHIMO FRIDERICO,**
 Heroum Piaſtæorum haudquaquam poſtremo : **AVO IOHANNE CHRISTIANO,** Piaſtæi Principum & Heroum Glorioſiſſimorum Sanguinis Decore Celiſſimo : Patre Sereniſſimo ac Celiſſimo Principe & Domino, Domino **GEORGIO III.** Duce Sileſiæ, Lignicenſi ac Brigenſi, Sacræ Cæſareæ & Regiæ in Hungariâ & Bohemiâ Majeſtatis intimo Conſiliario & Cubiculario, ſupremoque per utramque Sileſiam Capitaneo, in Imperii Romani Heroibus ac Minervæ Pello Primoribus pridem accenſito, Cæſarum, Regum & Principum quondam admiratione, nunc Deſiderio : Matre verò Sereniſſimâ ac Celiſſimâ Principe & Dominâ,
 Do-

Dominâ SOPHIA CATHARINA,
 Duce Silesiæ, Monsterbergensi ac Ols-
 nensi, pietate aliisque virtutibus Principe
 Matronâ dignis nulli secundâ. Sistam-
 ne hîc gradum *Auditores*, Orationis
 meæ vela etiam ad Gloriosissimam Sere-
 nissimæ nostræ profapiam maternam,
 splendore suo, quâ patet orbis, pariter
 notissimam pandendo? Non expecta-
 bitis, credo, hoc à me, quem nôtis non
 Historicum jam, sed Oratorem agere,
 non Annalium concinnatoris, sed bre-
 vis Panegyrici conditoris munus inire:
 Et quis Demosthenes? quis Cicero pos-
 set eam pro dignitate dicendo percense-
 re? Solebant prisca Heroes, quò suam
 supra cæteros mortales eminentiam ina-
 ni credulorum persuasionem stabilirent,
 in confinio se hominum Deorumque
 collocare, utrorumque naturæ partici-
 pes, Semideos se ac Semones venditan-
 tes, patribus ex Deorum profapiâ sibi ad-
 optatis, qui ad famam illustrissimi vi-

derentur. At nostra Heroïna, ut amplissimas eas verasque laudes jure vindicabat, inter homines æquasse summos, nec invenisse Majoribus suis majores, quos præoptaret, pietateque ac virtute cœlo esse adoptatam, sic divinæ Originis honorem usurpare si libuisset, nullo ipsi ad fidem inveniendam sacrilegio, nullo mendacio opus erat futurum. Etenim quæ per multa retro secula utrâque stirpe terrarum Dominos, virtutibus heroicis cœlitus supra alios ornatos, imperio, dignitate, potentiâ ad rerum culmina evectos (quos suos in terris vicarios deos DEVS ipse supremus salutare haud dedignatur) generis auctores numeraret; Annon verè poterat gloriari, Deum esse in utroque parente? Quæ ipsa clarissimorum natalium ab eis accepto propriisque virtutibus aucto splendore eniteret, eodemque cello fortunæ gradu eminens gentibus subjectis dominaretur, annon Deam se Dîs genitam

quàm foris illi quærent , clarioribus,
Piaſtæ Gentis domesticis inſignibus re-
fulſit. Quæ ſi proferre omnia, ac velut
in pompâ velim oſtentare , tot illuſtriſſi-
ma multorum ſeculorum nomina, quæ
ſingula uberrimum annalium ſint argu-
mentum, intra has pagellarum anguſtias
mihi forent conſtringenda.

Primam vitalis hujus lucis auram hau-
ſit Sereniſſima **DOROTHEA ELI-
SABETHA** noſtra decimo ſeptimo
Septembris anni ſupra milleſimum ſex-
centefimum quadrageſimum ſexti , in
arce Breſlavienſi, propugnaculo naturâ
& arte munitiſſimo, commodiſſimâ du-
dum Ducum Piaſtæorum ſede, eodem
anno , quo è caligantibus belli hæctenus
infeſtiſſimi nubibus almæ pacis lux ſua-
viſſima emicare annitebatur. Quæ hal-
cyonia cùm velut ulnis exceptam infan-
tiam ejus foviffent, eoque provexiffent
ætatis , quâ mentis generoſæ jamjam ſe
ſe exſerent igniculi, nihil à Sereniſſimis
Pa-

Parentibus omiffum eorum , quibus tam illuſtri loco nata, tantæque ſpei deſtinata pignora ad omnem virtutis gloriaeque perfectionem ſolent conformari: Sed potius totis viribus in id ſibi enitendum cenſuerunt, ut filia tenella , per ſacrum baptiſmatis flumen Eccleſiæ Chriſti inſerta , Chriſto etiam educaretur. Pietati igitur , utpote quâ nullum patrimonium certius , nullum luculentius , nullum ſplendidius liberis relinqui poſteſt, ab annis infantiae ultimæ unicè deſtinata fuit. Quid autem ego prædicem illa rudimenta & incunabula virtutis ac diſciplinam ſanctiſſimam ſub cuius legibus in aulâ paternâ floruit ? Ad præcepſias, ad cantiones ſacras, ad doctri-
nam Catecheti-
cam, ad verbum Dei ſedulò audiendum , ad ſacrorum Biblio-
rum aſſiduam lectionem , ad frequen-
tem ſacrae Synaxeos uſum ; ad omnia denique religioſæ pietatis exercitia ab
ineunte ætate Sereniſſima noſtra ſic

assuefacta fuit, ut illud Gynæcéum, vel-
 ut officina pietatis pulcherrima, virtutis
 domicilium & honestatis omnis Schola
 quædam extiterit: unde ipsa postmo-
 dum exemplum caperet, parem ratio-
 nem in instituendis progressu temporis
 suis quoque liberis ingrediendi. Inter
 has tam salutare, laudumque præconiis
 dignissimas exercitationes Virgo hæc
 Serenissima ad uberiores pietatis cul-
 tum magis magisque profecit, dum pie-
 tas unâ cum ipsâ in sancto castoque ipsi-
 us pectore adolesceret, & felicia proce-
 dente tempore subinde caperet incre-
 menta. Hinc factum, ut in ipsâ quo-
 que adolescentiâ, cujus via lubrica alio-
 quin consuevit esse, vitæ suæ modum,
 suavissimâ virtutum virginearum luce u-
 niverso choro virgineo, toti aulæ, imò
 omnibus, quibus suavissimâ ejus præsen-
 tiâ frui licebat, prælucendo, omniumque
 mentes atque oculos in se convertendo,
 facilè teneret. Atque hunc in modum
 in-

inclytissima illa virgo novis subinde virtutum auctibus & incrementis in mensuram ætatis plenè adultæ Christi succrescens, in medio adolescentiæ curriculo senilem illam, maturâque prudentiâ venerandam canitiem est assecuta; quæ ut Sapiens ille memoriæ prodit, non ex dierum multitudine aut annorum numero, sed ex animi sapientiâ, vitæque integritate æstimatur.

Vtinam verò juvenus utriusque sexus in ejusmodi exemplariâ virtutum oculos animosque defigeret, quibus ad sanctam imitationem inflammata, sprete hujus mundi vanitatibus, pietati, hujus simul ac futuræ vitæ promissionibus fultæ, operam daret! sic viam mandatorum Domini, cùm maximè tutam, tum minimè salebrofam aut impeditam inoffenso pede curreret; nec ita mundi voluptatibus inescata, è cursu virtutum & officii semel cœpto se transversam abripi pateretur. Vtinam jugi-

i

ter

ter in animo circumferret commemora-
 bilem illam planeque divinam Plaltis
 sententiam, quâ ad vitæ sanctimoniam
 sectandam, Iuventutem Israelis allectu-
 rus, quærit; *Quomodo servabit ado-
 lescens immaculatam viam suam?* &
 per *ἡγοραπόδοσιν* sibi ipse respondet, dicens;
custodiendo mandata tua.

Sed ut, unde digressa fuit, tanquam è
 diverticulo, redeat Oratio nostra: Ve-
 nustissimas istas animi dotes, quibus tan-
 quam pretiosissimis gemmis virgineum
 Serenissimæ nostræ pectus undiquaque
 radiabat, mirificè commendabat corpo-
 ralis formæ venustas & elegantia, statura
 adeò sublimatæ Heroinæ decora, totius-
 que corporis habitus longè optimus &
 præstantissimus. Quibus eximiis & a-
 nimi & corporis, addo & conditionis,
 dotibus Dominus ad secuturum con-
 jugium amplissimùm eam consecrare in-
 tendit; ut tanquam è cœlestis sapientiæ
 palatiis, his maximè gemmis, his margari-
 tis,

tis, his plusquam aureis monilibus, hoc præclarissimarum virtutum Augusto decentique habitu verè illustris & insignis procedens, futuro Sponso suo modis omnibus accepta & commendabilis evaderet. Nec etiam secus res evenit: Simul enim atque Serenissimus ac Cellissimus Princeps & Dominus, Dominus **HENRICUS**, Dei gratiâ Princeps Nassoviæ, Comes Cattimeliboci, Viandæ, Deciæ, Dynastes Beilsteinii, &c. Pater patriæ amantior, an amatior? Dominus noster clementissimus in hujus Serenissimæ, virtutumque famâ inclytissimæ Virginis (cui per virtutum, quibus undiquaque coruscabat, eminentissimarum raritatem latere haud licebat) notitiam pervenit, sancto sincereque in eam inflammatus amore, in votis hoc unicè habuit, ut, si supremo in cœlis Gamarchæ in primis, dehinc laudatissimis utrinque parentibus sic videretur, hanc potissimùm sibi uxorem;

hanc solam fortunæ utriusque confor-
 tem , hanc omnis vitæ sociam nancisci
 contingeret ! Arridebat vicissim Vir-
 gini verè Principi , omnesque ætatis at-
 que ordinis sui virtutibus supergressæ,
 pietas eximia & vitæ morumque incul-
 pata integritas **PRINCIPIS NASSO-**
VII, nec non cætera dona ad exquisitam
 Serenissimæ Celsitudinis ejus , tum tem-
 poris Aulæ Cæsareæ immorantis , com-
 mendationem abunde sufficientia. V-
 triusque voto cœlitus affulgebat sapien-
 tissima illa rerum omnium gubernatrix ,
 supremi in cœlis Numinis providen-
 tia. Hæc namque est , quæ Adamo
 protoplasto suam **EVAM**, è costâ ejus
 fabrefactam , in uxorem tradidit : hæc
 Abrahamo **SARAM** suam adduxit :
 hæc Isaaco **REBECCÆ** nuptias con-
 ciliavit : hæc Iacobo **RACHELEM**
 matrimonii nexu junxit : hæc suam cui-
 que fidelium uxorem, & cuique vicissim
 uxori suum maritum arcanâ quâdam

ra-

ratione designatum statuto tempore,
 submotis omnibus obstaculis, conjugali
 federe associat: hæc sola, referente Pfall-
 te, conjugem prudentem & cordatam è
 divinæ benignitatis thesauro largitur
 τῷ τὸν κύριον φοβεσθῆναι. Sic ergo præfulgente
 summi Polarchæ nutu, & laudatissimo-
 rum Parentum consensu utrobique
 haud difficulter impetrato (vix enim fa-
 tis dici potest, quantâ cum animi bene-
 volentiâ & humanitate Gloriosissimus
 Dux GEORGIVS Serenissimum
 HENRICVM nostrum, animo salu-
 tandi eam, quam hæctenus virtutum ra-
 rissimarum nomine summis ad sidera
 laudibus efferri sæpius inaudierat, Vir-
 ginem, Brigam profectum exceperit)
 jungitur inclytissima DOROTHEA
 ELISABETHA inclytissimo Heroi
 HENRICO, nuptiarum solenniis
 splendidissimè celebratis in arce Brigen-
 si, vigesimo tertio Octobris anni millesi-
 mi, sexcentesimi, sexagesimi tertii. Pro-
 ximâ

k

ximâ

ximâ à nuptiis hyeme Serenissimi NEO-
 ΓΑΜΟΙ Laudatissimis Parentibus, id
 ipsum ad gaudium suum desideranti-
 bus, cohabitârunt, cohabitaturi forte di-
 utius, nisi Serenissima Serenissimi nostri
 Mater, præter universæ Regionis Dillia-
 cæ, novam Principem ac Dominam su-
 am, tot ac tantis cùm animi tum corpo-
 ris dotibus excultam, videndi avidissimæ
 suspiria, eundem ad curas imperii ca-
 pessendas, in patriam revocâsset. Quare
 ad iter accincti, cùm vale dixissent dile-
 ctissimis Parentibus atque Amicis, No-
 nis Martiis anni sexagesimi quarti illud
 ingrediuntur, prosequentibus eos Wal-
 daviam usque, dimidium milliare ab ur-
 be Lignicensi distantem, Serenissimo
 Patre, aliisque nobilitate generis, glori-
 âque Majorum insignibus Viris: Vbi
 Gloriosissimus GEORGIVS unicæ suæ
 plusquam dilectæ Filix, paternam im-
 pertitus benedictionem, ultimum oscu-
 lum panxit, erectâ in discessus hujus me-
 mori-

moriam atque splendorem ad viam regiam miræ venustatis pyramide. Quo facto, Celsissimi ΝΕΟΓΑΜΟΙ iter suum perfecuti, Auspice & Duce Deo, sub finem supradiçti Martii sospites atque incolumes, perstreperente mille gaudiis & plausibus cùm Aulâ, tum universâ Regione Dilliacâ, hisce in oris felicissimè appulerunt.

Et sic duæ splendidissimæ profapiae, Nassovia scilicet & Piastæa, longâ licet locorum intercapedine à se invicem disjunctæ, societate tamen veræ Religionis & officiorum communicatione conjunctissimæ, novo novæ affinitatis nexu fuerunt astrictæ. O conjugium mellitissimum, suavissimum, & si quod in orbe, felicissimum! O fidem cum optimis quibusque veterum exemplis comparandam! Nihil felicius fuisset, quàm si tantæ felicitati perpetuitatem addidisset Gamarcha supremus. Quid hîc dicam de amore mellitissimo, quò Con-



jugem suum Serenissimum Serenissima
DOROTHEA ELISABETHA no-
 stra jugiter fuit profecuta? Adeò etiam,
 ut, ipso absente, in nullâ re acquieverit;
 Ipsi autem præfenti in utraq; fortunâ co-
 mitem individuum, sociamque suavissi-
 mam ad ultimum usque vitæ terminum
 se præbuerit, vicissim ab eodem con-
 stantissimè dilecta & redamata. Existi-
 mavit Serenissima nostra, se hæc Conju-
 gi conjugali jure debere, ut, quæ felici-
 tatis societatem iniisset, adversorum
 quoque consortium non refugeret, sed
 tum demum probaret omnibus, utrius-
 que, non alterius, se fortunæ sociam &
 confortem allectam esse, nec fidem tan-
 tum temporibus prosperis, sed tristissi-
 mis etiam quibusque, si fata ita tulerint,
 constantissimè addixisse: Adeò ut for-
 tunatissimum istud conjugium universis
 conjugibus concordiaæ speculum & u-
 nimitatis exemplar esse potuerit: quip-
 pe quod coierat Gratiis, non ethnicis il-
 lis

lis ethnicorum poetarum, sed cœlestibus, sed divinis annuentibus, quæ duo candidissima illa pectora indissolubilibus mutuæ benevolentiae nodis copularent. Quid referam etiam solertem ipsius prudentiam, quâ Mariti Principis, quoquo etiam modo affecti, voluntati scitè admodum se conformare sciebat, ad sensum affectumque ejus, quantum quidem fieri poterat, congruendo, nec eum ulla ratione irritando, cui morem gerendum ex Apostoli præscripto noverat; Sed potius aliundè, puta ex negotiorum ponderosorum, Principibus Viris nunquam non obviorum, varietate & multitudine aut perturbatum reficiendo, aut commotum sermonum suorum suavitate mitigando: Semper autem tantum abfuit, ut imperii se negotiis infunderet, ut obsequio potiùs & observantiâ Conjugem Celsissimum studiosissimè prosequeretur. Intelligitis *Auditores Optimi*, quantus ex hoc

I

con-

conjugio faustissimo cumulus accesserit ad felicitatem Serenissimi Principis nostri, quòd talem ei contigit nancisci uxorem, tam fidam, tam commodam, tam concinnis ac tempestivis moribus excultam, ut, quasin laudata uxore doctes Spiritus Sanctus uspiam recenset, eæ simul omnes Charitum more, vinculo fororio ac indivulso in hac Celsissimâ Heroide fuerint animadversæ; adeò ut jugiter extiterit Serenissimo Marito oculorum Delicium, cordis Desiderium, vitæque Delectamentum Suavissimum, isque eam jam tanto vehementiori mœrore deploret, quanto impensiore amore eandem semper fuit profecutus.

Nec verò matrimonium istud animorum duntaxat conjunctione felix, sed insuper etiam corporum fœcunditate & *ευτεκνίας* dono beatissimum extitit. Siquidem, *ευλογεντο & κυρίε*, inclytissima
DOROTHEA ELISABETHA,
in

in modum foecundæ vitis suavissimis
 uvis gravidæ, numerosâ simul ac verè Ge-
 nerosâ Sobole Domum Nassovio-Dil-
 lenburgicam exornavit, ampliavit, illu-
 stravit, & ut sacri codicis contextus lo-
 quitur, ædificavit, mirandâ foecunditate
 annis prope singulis optatissimo tori pi-
 gnore fortunata, ità ut Serenissimus no-
 ster viginti septem annorum spatio se-
 ptendecim liberos ex eâ susceperit.
 Quorum novem Deo redditi beatissi-
 mo Cœlitum interfunt consortio, unâ
 cum Serenissimâ Matre in omnium se-
 culorum æternitatem refocillandi: O-
 cto verò per Domini clementiam et-
 iamnum vivorum adaugent numerum,
 maturo suavissimæ Matris obitu impræ-
 sentiarum mœstissimi. Primis quidem
 ab inito matrimonio annis Serenissima
 nostra sterilitate laborare videbatur; un-
 de, spe prolis abeunte, Serenissimo no-
 stro, conjugii sui vivos ac lætos fructus
 percipere ardentibus exoptanti votis,

l 2

imò

imò toti Aulæ non exigua accrevit solici-
tudo : Verùm suam primis annis in pa-
riendo tarditatem DOROTHEA E-
LISABETHA , Domino uterum e-
jus foecundante , progressu temporis
partûs frequentia abunde compensavit,
enixa annorum prope singulorum de-
cursu utriusque sexus Sobolem pulcher-
rimam , suavissimam , exoptatissimam,
GEORGIOS LVDOVICOS,
WILHELMOS, CAROLOS, A-
DOLPHOS, FRIDERICOS HEN-
RICOS , IOHANNES GEOR-
GIOS , HENRICOS , LVDOVI-
COS HENRICOS , CHRISTIA-
NOS : Necnon SOPHIAS AV-
GVSTAS, ALBERTINAS, AMA-
LIAS FRIDERICAS , WILHEL-
MINAS HENRIETTAS, DORO-
THEAS ELISABETHAS, CHAR-
LOTTAS AMALIAS. Adeò ut
divinam promissionem, ore Psaltis, Spiri-
tus Sancti afflatu in hunc modum ela-
tam;

tam ; *Uxor tua , sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ : Filii tui , sicut plantæ olearum in circuitu mensæ tuæ* , in hoc felicissimo conjugio verè completam sit cernere. Quid autem censetis *Auditores* , Num forte Serenissima nostra ex pristinâ pietate, quam in ipsâ adhuc Virgine tantopere deprædicari audivistis , procedente tempore Vxor facta , aliquid remisit ? Tantum abest, ut remiserit, ut è contrario in dies singulos pietatem pietate & virtutes virtutibus adauxerit. In aliarum ejusdem ordinis & conditionis Matronarum consuetudinem cadit, vestibus splendidissimis, auro , argento , margaritis gemisque rutilantibus intextis, ac uque solerter ac ingeniosè pictis , ut in ipso habitu & fulgore amictûs quandam sui reverentiam hominibus incutiant , sese exornare : quod facessente luxu animique fastu in tam elato ordine haud improbandum. Verùm hæc Serenissi-

m

ma

ma DOROTHEA ELISABETHA
 nostra præter ornatum vestium, quò pro
 Celsitudinis suæ conditione usa est de-
 centi, de ornatu alio, infinitis vicibus ele-
 gantiore, sese præbuit sollicitam; quò
 non corpus, sed potiorem sui partem,
 hospitem illum atque præsidem corpo-
 ris, animum videlicet, accurata seduli-
 tate excoluit, secuta commonefactio-
 nem Petri, foeminarum ornatum
ἐν κειπῶ τῆς καρδίας ἀνδρώπῳ, hoc est,
 animi munditie, spiritu placido &
 quieto situm referentis, proposito ibi-
 dem sanctarum mulierum exemplo,
 quas ad internam illam Spiritus elegan-
 tiam, mentisque puritatem aspirasse
 confirmat. Sic & Serenissima nostra
 totum illum habitum pietatis aliarum-
 que virtutum omnium induit, non ea-
 rum duntaxat, quæ humanâ industriâ ac-
 quiruntur, sed earum maximè, quas Spi-
 ritus Sanctus (cujus templum præcla-
 rissimum existebat) in illius pectore ac-
 cen-

cendit ; quibus ipsa ceu lucidissimis gemmis , splendidissimisque margaritis undiquaque radiabat & fulgebat. Non dicam jam de assiduâ ipsius in verbo Iehovæ meditatione , cujus lectioni sic à teneris assueverat , ut deinceps etiam inito matrimonio ne unum quidem diem sine aliquot capitum Biblicorum lectione prætermitteret , sed horas suas cum matutinas tum vespertinas , quas saluberrimæ huic exercitationi destinârat , sepositis aliis negotiis quàm diligentissimè observaret. Nec hic Serenissimæ Celsitudinis ejus labor incassum abiit : Sed fructus hinc sibi decerpfit , & genere varios & delectatione suaves & multiplici utilitate insignes , imò nullis unquam seculis vel pœnitendos vel interituros. Continuâ quippe sacrarum literarum lectione eam sibi historiarum Biblicarum comparavit notitiam , eumque sibi Theologicæ cognitionis collegit thesaurum , ut & historias exactè me-

(m 2

mi-



minisset, & sententias insigniores quàm familiarissimas sibi redditas expedite referret, & ad rem præsentem, cujus incidebat mentio, concinnè appositeque traduceret. Hinc, quod potissimum, eas in fide Domini JEsu egit radices, ut, quod eventus progressu temporis docuit, nullâ rerum adversarum vi, nullo tentationum impetu, nullisque calamitatum procellis de præsidio salutis, cui domum suam superstruxerat, dejici subvertique posset. Quinimò ut, quod pluribus verborum anfractibus, summisque ad sidera laudum præconiis efferendum, uno quasi absolvam verbo, hanc sibi felicitatis proram ac puppim statuit, si in fragrantissimum verbi divini hortum, tanquam in Paradisum Dei amœnissimum exspatiata, flosculorum ibidem nascentium mellitissimo odore animam suam ad vigorem illum sempiternitatis sensumque immortalitatis reficeret. Nec etiam pluribus hîc memorabo indefesam

fam ejus in visitando cultu Dei publico
 sedulitatem. Vos ipsi nōstis *Audito-*
res, eam quàm frequentissimè illi in-
 terfuisse, adeò etiam, ut ne unicam
 quidem horam & occasionem, eum
 frequentandi nisi ingenti necessitatis te-
 lo adacta, prætermiserit. Vos ipsi nō-
 stis, eam in audiendo Dei verbo, &
 precibus ad Deum fundendis jugiter
 devotissimam fuisse. Vos ipsi nōstis,
 eam ministerio verbi & Sacramento-
 rum nihil in vitâ vel prius vel antiquius
 sibi duxisse. In præparatione etiam ad
 sacram Domini cœnam quantâ animus
 ejus non arsit pietate? quantâ devotione
 non fulsit? quantâ in Dominum IE-
 SVM suavitate non radiavit? ità ut
 meritò *Corona omnis pietatis, omnium-*
que virtutum Principe dignarum, di-
 ci posset. O TE DOROTHE-
 AM ELISABETHAM piissi-
 mam, sanctissimam, beatissimam! O
 TE DOROTHEAM, ve-
 n r è

ρὸ δῶρον θεῖον, id est, *Donum Divinum* !
Donum Serenissimo nostro HEN-
 RICO, *Donum* illustrissimæ Aulæ, *Do-*
num toti terræ Naslovicæ *divinitus* con-
 cessum ! O TE ELISABETHAM,
 nomine & omine *DEI* ministram *ju-*
ratissimam ! quibus laudum præconiis
 pietatem tuam efferam ? quibus ver-
 borum phaleris vitæ, certè ad miracu-
 lum quasi inculpata, probitatem extol-
 lam ? Noluisti, id quod haud ignoro,
 noluisse, inquam, post fata tua multum
 laudari, falsa innatam Tibi corruptio-
 nem : sed eo ipso, O BEATISSI-
 MA PRINCEPS, eo ipso laude dig-
 nior existis ; eo ipso mihi ampliorem,
 ratione humilitatis Tuæ prorsus singula-
 ris, aliarumque Virtutum, glomera-
 tim ac junctim, Charitum more, vincu-
 lo sororio & individuo in pectoris Tui
 adyto cohærentium, in laudum Tua-
 rum præconia erumpendi, aperis cam-
 pum.

Quem-

Quemadmodum enim lunam stellarum chorus, sic pietatem omnes cæteræ comitantur virtutes, quæ ab ipsâ diriguntur, ut inter vitia utrinque ad blandientia medium servent iter, intemertumque cursum vitæ sanctimoniâ ad metam à Deo propositam sinè offensione sperducant. Eluxit id quàm evidentissimè in Beatissima DOROTHEA ELISABETHA nostrâ: omnes Principe Matronâ dignæ in ipsâ glomeratim cohæserunt virtutes. Quas autem priori, quas posteriori præsentem sistam ordine? Dicamne hîc de non simulatâ ejus in proximum charitate & in pauperes quovis tempore exercitâ misericordiâ? vah, quantus mihi dicendi campus! si vestrâ in audiendo patientiâ abuti liberet. Non erogavit ea elemosynas suas, ut isthinc, more hypocritarum *κατὰ τὴν ἑαδὴν τοῖς ἀνθρώποις* (exprobrante idipsis Christo) liberalitatem exercentium, nominis famam affectaret:

n 2

non

non distribuit eas parcè & cum animi
 pœnititudine: sed sine radio ; sed sine
 laudis captandæ studio, sed animo libe-
 ralissimo. Loquimini vos ipsi O Pauperes
 & quibus stipsis ostiatim colligendæ ne-
 cessitatem hæctenus imposuit Martis
 furor atque inclementia. Quis om-
 nium liberalissimè vobis esurientibus &
 sitientibus cibum & potum præbuit ?
 nonne Serenissima DOROTHEA
 ELISABETHA nostra ? Quis om-
 nium munificentissimè vos nudos ami-
 civit ? nonne Serenissima DORO-
 THEA ELISABETHA nostra ?
 Quis omnium largissimè vos egentes sti-
 pe donavit ? nonne rursus Serenissima
 DOROTHEA ELISABETHA
 nostra ? Testantur id lachrymæ , quas
 beatissimus ipsius obitus oculis vestris
 excussit, & etiamnum excutit. O nun-
 quam satis celebratam Principem ! O
 Matrem mitissimam, suavissimam, beni-
 gnissimam ! O pectus sine controver-
 sia

fia christianum, Christoque, nobis pau-
 peres sui loco commendanti, verè devo-
 tum! quod charitatis, mansuetudinis &
 misericordiæ spiritu ita erat afflatum, ut,
 licet culmine tantæ dignitatis emereret,
 ad infimorum tamen hominum indigē-
 tiam supplendam, eorumq; refocillanda
 viscera tam gratam, tam beneficam, tam-
 que liberalem dextram porrigere, adeo-
 que, ut verba scripturæ mea faciam, ad
 pedes sanctorum lavandos se abjicere
 ne utiquam erubesceret. Nec vero egen-
 tibus duntaxat, rerumq; domesticarum
 penuriâ laborantibus; verùm etiam iis,
 qui in morbos impliciti lecto teneban-
 tur, salutarem præbuit manum, ad ornato
 in hunc finem ingentium impensarum
 pharmacopolio : hoc enim non aulæ
 duntaxat usibus, sed quorumvis etiam
 subditorum, in primis pauperum ægro-
 tantium necessitatibus patere voluit, qui-
 bus libero dono nulliusque pretii inter-
 ventu remedia omnis generis, pro mor-
 bo

borum diversitate, hinc promerentur. Quâ in parte nullis parcebat sumtibus, dummodò his Christianæ pietatis officiis posset quàm plurimis opitulari. Quàm igitur inenarrabili retributione hæc Serenissimæ Celsitudinis ejus munificencia compensabitur in resurrectione justorum? siquidem qui seminat copiosè, lætam segetem & remunerationis messem amplissimam est nactus, secundum infallibilem Servatoris nostri promissionem, qui se istam fidelium suorum *ἐνεργεσίαν* & in hac vita pensaturum & novissimo die coram universi orbis concilio solenniter prædicaturum recepit ac promisit, ad judicandum vivos & mortuos ex alto remeaturus. Faciamne etiam verba de ipsius erga quosvis, etiam infimæ sortis homines, mansuetudine? quis illi satis de prædicandæ sufficiat? per omne vitæ ipsius curriculum se se exerebat comitas affabilis, benignitas amabilis, modestia amicabilis, jugiter tamen
 cum

cum decenti gravitate conjuncta. E-
 micabat haud minùs temperantia lauda-
 tissima, in secundis rebus moderatio sua-
 vissima, in adversis perferendis patientia
 constantissima, loquela non modò ab
 omni levitatis, sed ab omni quoque levi-
 tatis suspicione alienissima, humilitas in
 tanta Principe admiratione dignissima.
 Quibus ornamentis singulis & universis
 nomen ipsius immortalitati est conse-
 cratum & in catalogum sanctarum Dei
 Heroïdum relatum. Quod si mihi
 verbo uno, quicquid in beatissima
DOROTHEA ELISABETHA
 nostrâ admiramur, complecti liceat :
 Fuit, fuit illa Matronarum Principum,
 quæ cùm præsentis tum præteritis secu-
 lis vitam laudum præconiis dignam in
 hoc patentissimo orbis theatro dege-
 runt, compendium & virtutum om-
 nium quoddam Sacrarium : Vnde,
 quemadmodum Helenam suam for-
 maturus Zeuxis quinque ex toto Agri-
 gen-

gentinarum choro puellas venustissimas sibi selegit, ut, quæ sese in his separatim exerebat, singularem & admirandam venustatem in eam penicillo suo conjunctim transferret, ita magnus illerum Arbiter omnem morum gravitatem, omnem virtutum dignitatem, omnia Matronarum Principum ornamenta, quæ in aliis discriminatim, in Beatissimâ DOROTHEA ELISABETHA nostrâ junctim nitere voluit. Opponite mihi, si placet, Saræ, magni illius quondam Principis Dei, Abrahami uxoris in DEum fidem & erga Conjugem obedientiam, haud exilibus (id quod non ignoro) ea propter à Sancto Petro impertitur laudibus: at non cedit DOROTHEA ELISABETHA nostra, utpote quæ pietate in Deum & obedientiâ erga Serenissimum Conjugem nihil in vitæ curriculo vel prius vel antiquius sibi duxit. Producite Rebeccæ mansuetudinem: non cedit DO-
RO-

ROTHEA ELISABETHA nostra ;
 utpote quæ mansuetudini nunquam
 non operam dedit. Adducite Rache-
 lis fœcunditatem : non cedit DO-
 ROTHEA ELISABETHA nostra ,
 utpote quæ singulis ferè post initum ma-
 trimonium annis Illustrissimam Aulam
 optatissimâ prole beavit. Proponite
 Susannæ castitatem : non cedit DO-
 ROTHEA ELISABETHA nostra :
 utpote quæ lasciviam & quicquid casti-
 tati adversum, odio plusquam Vatinia-
 no jugiter odit. Date , quamcunque
 vultis, in aliis quibuscunque Mulieribus,
 quæ nominis famam nullis unquam se-
 culis intermorituram sibi pepererunt ;
 testimonium ædificatæ domûs sortitæ ,
 virtutem ; in hac Serenissimâ DORO-
 THEA ELISABETHA nostra nul-
 lo negotio designabo ; & cùm singu-
 las in singulis ostenderitis , in hac una
 simul omnes commonstrabo. O-
 mnium autem , cùm singulis pro digni-

p

ta-



tate laudandis vel ipse Tullius vix sufficiat, unum quasi fascem construere mihi liceat. Fuit, fuit Serenissima DOROTHEA ELISABETHA nostra Spiritus Sancti Sacrarium venustissimum, pietatis Speculum lucidissimum, modestiæ & mansuetudinis Exemplar amplissimum, pauperum & afflictorum Asylum munificentissimum, misericordiæ Palatium splendidissimum, justitiæ domicilium augustissimum; imò omnium omnino virtutum, Principe Matronâ dignarum, Miraculum absolutissimum, in quam cum hæc doctes universæ confluxerint, nullâ unquam oblivione monumenta laudum ipsius obfuscarî, nedum obliterari poterunt. Quod tamen non eò à quoquam velim intelligi, quasi Beatissimam nostram ἀναμάρτητον constituere intendam: Quis enim est, qui omnis peccati vivat immunis? Hinc omnibus, etiam sanctitate vitæ eminentissimis, dicent-

cendum fuit ; *Credo remissionem peccatorum* : Omnibus orandum fuit ; *Remitte nobis debita nostra* : Omnibus illud Apostoli ingeminandum fuit ; *πολλὰ πηαίομεν πάντες.* Quod etiam de missâ semper humilitate agnovit in sese Celsissima Princeps, ideoque hanc sibi operam dandam censuit, ut peccata sua confiteretur Domino, ut fiduciâ pacificatoris JESV eorum condonationem impetraret, ut virtute Spiritus Sancti ea expurgaret, quantum in hac naturæ fragilitate fieri poterat. Itaque hæ infirmitatum reliquiæ nec virtutes, quibus petus ipsius undiquaque fulsit, obscurare, nec de enumeratis laudibus quicquam diminuere valent atque detrahere: cum peccata quidem electorum sint tecta, sint expiata, sint æterna oblivione deleta, & inducta pretioso filii Dei sanguine : Virtutes autem operaque bona, coram DEO in perpetuâ versentur memoriâ, non in hoc solum seculo compensan-



da ampliter, sed etiam in futuro liberalis-
simè remuneranda.

Sed unum adhuc superest *Audito-
res Optimi*, quod, antequam ad reli-
quam Orationis nostræ partem, quò
nos jam etiam instituti nostri ratio vo-
cat, transeamus, sicco, quod ajunt, pede
præterire haud licet; nimirum indefes-
sa ejus in liberorum divinitus concessio-
rum educatione cura & sedulitas.
Quemadmodum enim olim religiosissi-
ma Samuelis mater pro masculâ prole
Dominum precata votum vovit, quòd
ipsius divina benignitate concessum fi-
lium per universum dierum ejus curricu-
lum Domino vicissim redditura esset:
Sic Serenissimæ nostræ nihil magis fuit
curæ, quàm ut liberi Dei munere acce-
pti, institutione sanctâ ἐν παιδείᾳ καὶ νεφροῖσι
veluti loquitur gentium Apostolus, e-
ducati Domino vicissim sedulò addu-
cerentur. Nec mirum, eam educatio-
nem optatissimo non caruisse successu:
siqui-

siquidem præter salutares admonitiones, quotidiana insuper exempla domestica omnis honestatis in vitâ & actionibus Celsissimorum Parentum sese offerebant. Quæ virtutum paradigmata subinde plus in liberorum educatione habent ponderis, quàm universa præcepta Philosophorum in unum acervum collata. Solet enim usu venire, ut, quos mores parentum suorum dictis factisque velut impressos advertunt liberi, in eorundem familiaritatem quandam usu illo quotidiano perducantur, iisque sic tandem assuefiant, ut & imitentur diligenter, & actionibus suis exprimant feliciter. Nihil attinet remotarum ex antiquis annalibus historiarum monumenta adducere; ipsam, de qua nobis impræsentiarum sermo est, Beatissimam **DOROTHEAMELISABETHAM** contemplari juvat. Ea non tam morum præceptis suavissima tori sui pignora imbuat, quàm integritatis exemplo & incredibili prope morum innocentia ad sui honestam imitationem illa accendit



& inflammavit. Quanto autem cum fructu hoc successerit, iis haud obscurum est, qui quotidie suavissimos Serenissimorum Liberorum mores intuentur & admirantur. Nihil addam de φιλοπονία Serenissimæ nostræ, quâ, cum nôset, otium esse pulvinar Satanæ, irritamentum libidinum, fomentum malorum omnium, Gynæceo aulico, non tam id commonefactionibus quàm exemplo suo incitando, jugiter præluxit, semper, nisi vel sinistrâ valetudine vel sacrorum meditatione abstraheretur, inventa aliquid facere earum operarum, quæ & piæ Matronæ convenirent, & à suæ conditionis eminentiâ non viderentur alienæ. Si proinde Hectoris uxor rectè laudatur ab Homero, quòd licèt regio orta sanguine Mariti equis pabulum subministrare haud erubuit, qui labor vilior apparebat, quàm qui Regiæ Personæ congrueret: quidni multo magis laudanda fuerit Beatissima DO-
RO-

ROTHEA ELISABETHA nostra, quòd operas sublimato ordini suo aptas atque congruas faciendo, otium à se depulit, devitatâ exinde eorum peccatorum, quæ otium longa serie consequuntur, occasione. Instruxit enim natura illustres quoque personas non capite duntaxat, sed & manibus: quod Rex Alphonsus cuidam suorum Consiliariorum sapienter respondisse fertur.

Quanquam autem Arbiter vitæ necisque summus Serenissimam nostram multis nominibus, quousque eam in mortalis corporis ergastulo degere voluit, fortunatam reddidit: eam tamen prosperitatem sanctâ cruce sic temperavit (id quod jam etiam in apricum producere orationis nostræ series jubet) ut liquidò pateret, DEum se illi, ut benignissimum exhibere Patrem: siquidem, docentibus id ipsis Sacrarum Literarum Pandectis, quos maximo prosequitur amore, maximè castigare solet. Quem-

q 2

ad-

admodum enim olim sacrificia sale condi oportuit: sic electi calamitatum, rerumque adversarum sale condiuntur, & igne tentationum probantur, ne mundi hujus illecebris inescati aut improbæ carnis securitate capti peccatis indormiant. Hinc illud Davidis; *Multæ sunt afflictiones justis.* Hinc istud Apostolorum; *Pios oportet per multas afflictiones ingredi in regnum DEI.* Hinc hoc ipsiusmet Servatoris nostri; *Siquis vult ponere me venire, abneget se & tollat crucem suam, ac sequatur me.* Quare ut hæc communis & pervulgata fors est fidelium; sic ab ista regulâ se minimè exemptam multis experimentis didicit Serenissima nostra. Non enim existimandum, hæc tam sublimitatæ conditionis personas, quòd sint re lautâ, quòd rebus ad præsentis vitæ usuram pertinentibus abundare videantur, protinus extra teli jactum, infortuniique aleam sic consistere, ut nunquam aut

vix

vix aliquando calamitatum vel periculorum fluctibus infestentur : hoc qui opinantur , toto sanè cœlo aberrant. Sunt cuique vocationi , sunt cuivis ordini , sunt cuilibet hominum generi , statui & conditioni suæ spinæ , sui tribuli , sui aculei : Imò quò sublimior & amplior est hominis conditio , eò magis crescunt curæ , multiplicantur sollicitudines , cumulantur æumnæ , animorumque perturbationes novis subinde accessionibus augentur : haud aliter ac in concitato pelago fluctus fluctum cingere & urgere cernitur. Hæc nunquam non sunt obvia , piis maximè & fidelibus , quos peculiare ob causas præ impiorum turbâ sic exercere constituit Pater indulgentissimus , quò à mundi vanitatibus magis ac magis abstractos atque conformes imagini filii sui hac afflictionum rerumque adversarum societate factos ad gloriæ quoque sempiternæ participationem aliquando subvehat.

r

hat.

hat. Sensit harum Spinarum, sensit ho-
 rum tribulorum aculeos Serenissima no-
 stra in matrimonii sui, quamvis cætero-
 quin fortunatissimi, progressu. Non
 dicam jam de luctu, licet gravissimo, quo
 eam cis paucos annos inopinus Serenif-
 simæ atque Celsissimæ Principis & Do-
 minæ, D. ELISABETHÆ MARIÆ
 CHARLOTTÆ, Palatinæ Rhenanæ,
 natæ Ducis Bavaræ, Comitis Spanhei-
 miæ, Ducis Silesiæ Lignicensis & Brigen-
 sis, Novercæ suæ, Matris instar jugiter di-
 lectæ, obitus affecit. Nec verba faciam
 de mœrore, quem ipsi non longè post
 tristissimus amatissimi Patris, Ducis
 GEORGII (quo nomine virtutes o-
 mnes continentur) ex hac vita exces-
 sus peperit: quantis enim mœstissima
 hæc fata animum ejus, parentum jugi-
 ter amantissimum, affecerint vulneribus,
 cogitatu quàm dictu est facilius. In-
 credibilem tamen semper præstitit pa-
 tientiam, gnara, piorum calamitates esse
 qui-

quidem *πικρὸς οἶσος* *amara spicula*, ceu Nazianzeno loqui volupe; Ast ex *γλυκερῆς παλάμης* *ex dulci*, nempe paterna Dei *manu* evibrata in ipsorum cedere salutem. Inducta interim mellitissimo, quo, maximè in Gloriosissimum patrem flagrabat, amore, ad erigendum ei castrum doloris, qui ipsi non ità pridem castrum amoris erigendum curaverat, iter, quamvis longissimum & periculis molestiisque durissimum in se suscipere haud dubitavit. Afflictiones domesticas jam duntaxat paucis attingere liceat ei, qui brevitati litat. Audivistis jam supra modò *Auditores Optimi*, novem Liberos Serenissimæ DOROTHEÆ ELISABETHÆ nostræ, mortis amarore, ereptos esse: quantam hinc lachrymarum copiam delicia illæ suavissimæ, in ipso juventæ flore oculis ejus subductæ, Beatissimæ huic Animæ excusserint, vel me silente, intelligitis: ne jam quid addam de variis iisque gravif-

simis morbis, quos suo ipsius corpore
 tenerrimo quotannis ferè excepit, lecto
 affixa: imò, ut verbo absolvam, tot
 calamitatibus, rerumque adversarum flu-
 ctibus obnoxia fuit, quot recensendis
 ferme integri diei, nedum unius horæ,
 spatium insumendum esset. Attamen,
 utcunque etiam in gravescentibus affli-
 ctionum & dolorum procellis, semper
 luctum suum sic moderata fuit, ut ne
 minimum quidem ullo unquam tem-
 pore alicujus impatientiæ indicium pro-
 deret. O TE Animam piissimam;
 mitissimam, suavissimam! O TE DO-
 ROTHEAM ELISABETHAM
 beatissimam! quibus TE laudum præ-
 conis efferam? Laudent Romanen-
 ses DOROTHEAM suam, ceu
 Christo devotissimam, miraculisque in-
 clytissimam. Extollant Trevirenses E-
 LISABETHAM suam Schonaugiam,
 Virginem, referentibus veterum histo-
 riarum monumentis, fatidicam, extra
 cor-

corpus nonnunquam raptam , Cele-
 brent alii ELISABETHAM Vnga-
 ricam, Ludovici Pii, Thuringiæ Land-
 gravii conjugem, quòd tam miranda pie-
 tatis opera ediderit , ut Gregorio IX.
 Pontifici Romano , digna vila fuerit ,
 quæ in Divarum numerum referretur.
 Miretur Boccaccius ELISABE-
 THAM Austriacam , Galliarum Re-
 ginam, quòd divinis rebus vacaverit to-
 ta : summis ad sidera laudibus efferat
 idem ELISABETHAM Gonzagam,
 ut pudicitia & conjugalis fidei egregium
 & singulare prorsus exemplum. Si vel
 maximè veritati congruerent, quæ de illis
 traduntur , nostra tamen DORO-
 THEA ELISABETHA longè major
 fuit veriore de DEO & Christo Re-
 demptore sensu, quòd seculi vitio & in-
 scitiâ illarum pietati superstitionis aliquid
 non potest non adhæsisse. Nostra se-
 cundum verbi divini puritatem Christo
 suo semper vixit , eidem ad extremum

f

uf-

usque vitæ halitum fisa purissimi, innixa constantissimè. Vix enim satis dici potest; quantâ fiduciâ, ut per univ-
 sum vitæ curriculum, itâ maximè ultimis vitæ suæ diebus, morbo gravissimo correpta, Domino IESV suo adhæ-
 lerit, quantâ precum devotione eidem animam suam commendaverit. De-
 cumbente illâ, nihil non ex Medico-
 rum Celeberrimorum præscripto ten-
 tatum, nihil prætermisum, quod ad
 profligandum morbum pertinere vide-
 retur; sed irritò conatu omnia. Diu-
 turna quippe animi sollicitudo massam
 ejus sanguineam itâ corruperat, spiri-
 tibus vitalibus sensim exhaustis & ab-
 sumptis, ut quatuor modò ante obitum
 mensibus cibi potusque appetentiâ &
 orexi destitueretur. Quæ licet frequen-
 ti usu præstantissimorum medicamen-
 torum, in primis fonticuli Embsensis
 (cujus Serenissima Celsitudo ejus sin-
 gulari flagravit desiderio) aliquantu-
 lum

lum intendi fuerit visa ; nihilominus tamen , aliorum symptomatum interventu , in totum ferè remisit , illato & corpori & pedibus tumore gravissimo , subinde quidem vi medicamentorum mitigari viso , paulò tamen ante obitum ejus , ingruentibus novis symptomatibus , de novo adeò intenso , ut , ingravescente in dies corporis languore , cuncta restitutionis spes evanuerit. Deum verò immortalem ! quàm , corpore licèt undique doloribus vehementissimis obruto , anima tamen ejus in Deo suo viguit ? quàm divinæ voces ex ore ipsius auditæ , intimâ mente ad cœlum assurgentes ? Scilicet ad supremum discrimen perductis mortalibus persona eripitur , manetque res & omnia ferè aguntur , missis humanis , missis terrenis rebus , tantummodo sacra , divina , cœlestia cogitantur , cogitata quamdiu lingua officio fungitur , expressissimè enarrantur,

f 2

tur, precibus, suspiriis, votis perficiuntur omnia. O cœleste munus animæ, cum sic Christo devota, plena Dei est; cum hoc duce, hoc auspice ex ergastulo corporis erumpere & in meliores sedes evolare parata est! In hoc statu beatissimo Serenissima nostra degit. Hinc vix satis dici potest, quantâ cum animi fortitudine & lætitia למלך בלהוה *Regi terrorum*, id est, morti (quo nomine eam haud sinè emphasi insignit Iobus, absolutissimum illud patientiæ miraculum) sese obviam tulerit, ex ore Apostoli gnara, imo plenissimè certiorata, sibi, cum hætenus Christo unicè vixerit, mortem non damnum, sed lucrum fore, imò transitum ex humili hac miseriarum valle ad sublime cœlestis gloriæ fastigium. Tandem nono Junii, sub horam sextam vespertinam, postquam dilectissimo Marito ultimum, idque tristissimum *vale* dixerat, eidem, ut & suavissimis Liberis divinam imperti-
ta

ta benedictionem , inter ardentissimas
 præsentium preces placidissimam in Do-
 mino IESV (in quem tota fiducia cordis
 unicè recubuerat) oppetiit Mortem, an-
 norum quadraginta quatuor , men-
 sium quinque & dierum viginti trium
 emensa spatium. O funestum & la-
 chrymabile tempus , quod Domui
 Nassovicæ funera funeribus densat! O
 rebus humanis invidam & invisam
 diem , quæ Marito Serenissimo Con-
 jugem fidissimam , quæ Liberis Princi-
 pibus Matrem dulcissimam , quæ incly-
 tæ Aulæ Præsidem illustrissimam , quæ
 nobilissimo Gynacæo Antistitam sua-
 vissimam , quæ pauperibus Altricem
 Munificentissimam, quæ oppressis Asy-
 lum & Aram lacerrimam , quæ univer-
 sæ genti subditæ Dominam clemen-
 tissimam, quæ toti denique patriæ suum
 illustre decus, adeòque coronam suam,
 eripuit.

Luge hinc , luge ô Nassovia He-
 roi-

roidem , Heroidem in paucis , tibi fa-
 tō abreptam , in quam singularis quæ-
 dam cœli indulgentia munera sua &
 dotes effuderat , an profuderat ? cer-
 tē miscuerat , sic adeò sic mirando
 concentu , ut splendidissimæ animo in-
 sitæ virtutes , suavissimæ oris adeoque
 totius corporis præstantiæ , conjugio
 admirabili maritatae , nihil Heroinæ
 omnibus numeris consummandæ reli-
 quum porrò fecerint. Luge , luge
 vera Dei Ecclesia veram & paucis aut
 nullis secundam **NVTRITIAM** ,
 tibi mortis furore ademptam , certē ,
 si qua in orbe , piam , si qua in orbe,
 devotam , si qua in orbe , benignam. In-
 primis Tibi lugendi causa ô Princeps Pa-
 ter Serenissime ! amisisti conjugem ,
 certē si quam capit orbis , fidam , ca-
 stam , humanam , cordis tui delici-
 um , imò vitæ tuæ quasi dimidium. Nec
 minor Vobis lugendi causa ô Filii &
 Filia Principes : amisistis Matrem mel-
 litif-

litissimam , suavissimam , inclytissi-
mam , cordium vestrorum delectamen-
tum & decus dulcissimum.

Sed interim moderamini luctum, O
Serenissima pectora , & quotquot lu-
gere facit tritissimus & , si humana
spectes , immaturus Serenissimæ no-
stræ ex hac vita excessus. Non enim
amissa , sed premissa demum , quam
vos amisisse autumatis : Non verè o-
biit , sed abiit demum , quam vos o-
biisse putatis. Abiit , inquam , in æ-
ternum illud beatitudinis nunquam de-
siture habitaculum , in quod suo quis-
que fidelium prestituto tempore , vo-
cante & jubente summo illo vite ne-
cisque arbitro , concedet , Vobis ,
εάν ο Πάρις υμῶν οικία τῆ σκηνῆ καταλυθῆ ,
ceu Apostolorum facile princeps lo-
quitur, restituenda. O sortem illius
felicissimâ permutatione auctam ! O
lucrum inestimabile ! Permutavit mala
hujus mundi cum fruitione summi

& eminentissimi boni , opes terrenas
 & caducas cum cœlestium bonorum
 thesauris , miseras cum beatitudine ,
 dolores & gemitus cum sincerissimâ vo-
 luptate & gaudio prorsus inenarrabili ,
 labores cum pace nunquam desiturâ ,
 lachrymas cum triumpho , fugacissimæ
 denique vitæ fragilitatem cum alterius
 immortalitate. Haud inficias eo, po-
 tuisse nunquam satis laudatam Princi-
 pem ætatis ratione diutius vivere ; ve-
 rùm summo rerum humanarum Mode-
 ratori secus erat visum , qui, fixo cuius
 Mortalium immobili vitæ termino , pro
 arcanâ suâ sapientiâ , cur tantarum vir-
 tutum Principem , vix ætatis humanæ
 medium curriculum emensam , ad se
 ex hac turba & colluvione tam maturè
 evocare voluerit, optimè novit. Quem-
 admodum enim non omnes omnium
 arborum fructus autumnus tempus op-
 periuntur, sed quidam etiam inter nobi-
 lissimos æstate mediâ ad justam matu-
 rita-

ritatem provehuntur : sic quàm plurima præstantissima DEI Organa maturitate suâ graviolem senectam quasi antevvertunt ; nonnulli etiam in ipso ætatis flore , tanquam verno tempore DEO & Christo , termini tamen divino decreto immobiliter fixi vigore ; satis superque maturi sunt , qui cœlestis regni palatio inferantur. *Ipsa certè beatissimè defuncta Princeps elegit*
τὴν ἀγαθὴν μερίδα , ἧς οὐκ ἀφαιρηθήσεται ἀπὸ αὐτῆς.
 Soluta namque morbo diuturno, cunctisque malis hujus mundi felicissimè defuncta & exempta eum obtinuit locum , *ubi* (ut non minus scitè quàm verè Augustinus , augustissimus ille quondam Ecclesiæ Christianæ Doctor loquitur) *lætitia sine tristitia , salus sine dolore , via sine labore , lux sine tenebris , vita sine morte , omne bonum sine omni malo : ubi juventus nunquam senescit , ubi vita terminum nescit , ubi decor nunquam pallefcit ,*
u ubi

ubi amor nunquam tepescit , ubi sanitas nunquam marcescit , ubi gaudium nunquam decrescit , ubi dolor nunquam sentitur , ubi gemitus nunquam auditur , ubi nihil triste videtur , ubi lætitia semper habetur , ubi malum nullum timetur , quia summum bonum ibi possidetur. O Te DO-
 ROTHEAM ELISABETHAM
 beatissimam , sanctissimam , felicissimam ! Tu nunc cum Domino IESU ,
 cujus per universum vitæ tuæ curricu-
 lum tam fida extitisti Ministra , vitam
 degis sempiternam , deliciis cœlesti-
 bus plenissimam , ab omnibus pericu-
 lis & molestiis remotissimam , Cœli-
 tum consortio suavissimam , ingruen-
 tibus adhuc apud nos malorum milli-
 bus. Tu ad clarissimam illam æterni-
 tatis lucem eluctata , nunc DEVM
 intueris facie ad faciem , decertatique
 boni certaminis *βραβεῖον* , coronam justi-
 tiæ , manibus Servatoris tui Tibi im-
 posi-

positam geris , omni mundano ornatu
 prorsus infinitis vicibus splendidior.
 O miseros è contrario nos & calamito-
 fos ! qui tot impliciti malorum quasi
 catenis , & in fidiculis adhuc tormen-
 tisque naturæ positi , non amplius vi-
 debimus TE , nisi & ipsi per ea , quæ
 jam felicissimè confecisti spatia , ea-
 mus, atque Tecum simul ipsaque con-
 jungamur æternitate. Interea salve San-
 ctissima Anima , quæ soluta parte im-
 becilliore tui, de livore, fortunâ, & ipsâ
 postremo morte triumphum egisti, at-
 que TE melius longè per virtutes &
 famam , quàm per exeuntem de bu-
 sto aquilam æternitati consecrâsti, jam-
 que in pristinam dignitatem vindicata
 tuam spatia immensa cœli pervagaris, il-
 lisque ineffabilibus abundas gaudiis ,
 quæ sine ullius turbinis aut nubili mi-
 stione æternæ libertati transcriptos cir-
 cumsonant undique ac circumfun-
 dunt. Vale Matronarum Principum

dulce Decus , nulla unquam oblivio-
 ne ex animis nostris , quamdiu spiritus
 hosce reget artus , obliterandum ! Vi-
 ve Heroïna incomparabilis , & ulti-
 mum hoc , quod Tibi dicimus VA-
 LE , accipe atque in observantiâ Tibi
 debitæ argumentum trahe ! Gaude &
 plaude foeminei sexus Corona æstima-
 tissima , & deliciis suavissimis , quibus
 sinè controversiâ frueris, fruire in omni-
 um seculorum secula. Nos Tui me-
 moriam colemus sine intermissione ,
 TE intuebimur, TE imitabimur, TE
 & tuam *εὐδαιμονίαν*, quamprimum summus
 ille vitæ necisque arbiter jusserit, luben-
 tissimè sequemur ; Salve SERENIS-
 SIMA, salve BEATISSIMA, salve IN-
 CLYTISSIMA DOROTHEA
 ELISABETHA & vale
 æternum.

Tu

TU Deus interea, rerum qui gnarus
 ab ævo ,
 Cujus ab arbitrio cuncta creata
 fluunt ;
 Quò mandante, Duces celsâ in statione
 locantur
 Quoque jubente , illâ de statione mi-
 grant ;
 Dilliacam perfunde Domum solamine,
 Matris
 Principis afflictam funere, ritè piæ.
HENRICUM in primis, Dillæo Nu-
 men in orbe
 Respice pro luctu gaudia mille ferens.
 Quod manus inflixit tua vulnus, curet
 id ipsum
 Rursus cis paucos hæc tua dextra
 dies.
 Erige turbatam Dilectæ funere men-
 tem
 Ejus, & optatâ prosperitate bea :
 Dilliacæ seros ut vivat sospes in annos
 Terræ, Nassovici summa Corona solis ;
 x Ejus

Ejus & imperio placidisque piisq; fruamur

*Temporibus, nomen ritè timendo tuū.
Pignora funesto Matris mæstissima fato
Tu quoque mæstitiæ letificato loco;
Da solamen eis, imprimis flamen ab
astris*

*Sanctum, &, quæ profunt, prospera
quæque soli:
Corporis ac animi ut crescant virtute,
parentum*

*Exemplo, imprimis in pietate Dei.
Floreat imprimis hoc noster fine WIL-
HELMUS*

*Semper, Nassovicæ Gloriam magna
Domus;
Strenuus in Batavis præsentibus
Heros*

*Tempore, Dilliaci Spesq; Salusq; soli.
Ex aliis redeat nostras is sospes in oras
Tandem, & Dilliacâ vivat in arce diu!
Vivant & reliqui de Principe stirpe
creati,*

Tu-

*Tutani & nostræ Numina Trina
 Scholæ!
 Respice Nassovicum placata mente
 Lycæum
 Semper, & optatis fructibus usque
 bea;
 Floreat usque docens discensque cater-
 va, Camœnis
 Sacra, in longæ vos sedulitate dies!
 Sit labor ipsorum felix, conamina fau-
 sta,
 In primis verbo congrua rite tuo!
 Da, Pater alme, tuum cuncti quæra-
 mus honorem,
 Et tandem cæli luce fruamur, Amen!*

F I N I S.



[Pon. II m. Bl. 76 verso]

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its light color and the texture of the paper.

Faint, illegible text, possibly a title or a section header, located in the middle of the page.



✓

84 B 808


ULB Halle 3
006 363 504



1077

K





MONUMENTUM NASSOVICUM
ÆTERNANDÆ MEMORIÆ
*Serenissimi ac Celsissimi Principis &
Domini*

D. HENRICI

PRINCIPIS NASSOVIÆ, COMITIS CATTI-
MELIBOCI, VIANDÆ ET DECIÆ,
DYNASTÆ BEILSTEINII &c.

*Patris Patriæ optimi, maximi, Domini nostri Clementissimi,
Conjugis Gloriosissima,*

Serenissima ac Celsissima Principis & Domina

D. DOROTHEÆ
ELISABETHÆ,

PRINCIPIS NASSOVIÆ, NATÆ DUCIS SI-
LESIÆ, LIGNICENSIS AC BRIGENSIS, CO-
MITIS CATTIMELIBOCI, VIANDÆ,
DECIÆ, DOMINÆ BEIL-
STEINII, &c.

*Matronarum Principum, dum viveret, Corona & Decoris longè
dulcissimi, inclytissimi,*

Postquam

PRINCEPS SOLI SERENISSIMA

Placidâ morte evasit

PRINCEPS POLI BEATISSIMA,

Ex

Humillimæ observantiæ cultu magno cum dolore

Statutum à

SCHOLA ACADEMICA,

Quæ est

HERBORNÆ.

☞) ☞ (☞

TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ.

ANNO M. DC. XCI.

